

plices pertinebunt; qvædam à Jure Gentium, qvædam à civili le-
niter ac remissè, omnia verò à Jure N. rigidè tractabuntur.

§. XXVI.

Inter tranquillos acqvisirendi modos ex institutō qvarundam gentium recipiuntur incrementa ex alluvione; *H. Grotius L. II. c. 8.* Exempla è Republicā a) tempore Pacis,

§. 8. Jure Naturæ teneor ego, qvi commodum indè percipio, alteri, qvi damnum patitur, satisfacere. *Hominem enim, inquit Cicero III. Officior. hominis incommodosuum augere commodum, est contra naturam:* Eundem tamen in modum Jure civili dissimulatur in contractu tolerabilis (qvæ non sit ultra dimidium) inæqualitas; jure N. nulla. Nemo enim, secundum hujus rigorem, ulla ex parte autullo modo est lædendus.

§. XXVII.

Inter media tranquilla justè continuandi dominium, jure Gentium, vel primo loco ponitur Præscriptio. De publico dominiō *Philippus ad T. Quintum apud Livium L. 32. Civitates quas ipse cepi, præsidiis liberabo; quæ mibi traditæ, à Majoribus justâ ac hereditariâ possessione, iis non excedam* De privato *Cicero L. II. Offic. Quam habet æquitatem, ut agrum multis annis aut etiam seculis ante posse fum, qvi habuit, amittat?* Nihil roboris relinquit temporis rigor Juris Naturalis. Verè *Grotius L. 2. de J. B. & P. c. 4. §. 1. Tempus ex suapte naturâ vim nullam effectricem habet: nihil enim fit à tempore quanquam nihil non fit in tempore.* Semel hīc injustum nunquam evadit justum. Imò verò Rigor ille poscit, ut de usufructu Domino rei, ad quem spectat, satisfiat, & eò qvidem magis, qvò gravius est damnum, qvod ille longò tempore, decurrente amplissimò præscriptionis spatio, percepit. Universalissimum enim rigidissimumqve est ejus Axioma: *Suum cuique tribuendum.*

§. XXVIII.

Juxta rigorem Juris naturalis pœna non minùs ac culpa est personalis. Malum enim pœnæ, nisi post malum culpæ, non potest infligi. Jure positivo humano crimen læsæ Majestatis à parentibus commissum luunt etiam liberi. Hodiè tamen ob noxam unius, qvi in Regem deliqvit, non omnis propinquitas perit; qvæ Persarum lex *Ammiano Marcell. L. 23 inter eas, quæ diritate omnes leges superant, abominanda meritò dicitur.*